

πf
1130

JK



C. D.

MEMORIAMCELEBERRIMÆ ECCLESIAE DOCTORUM
TRIGÆ,*Ex hac Electorali Dresdeniundæ,***D. BALTH. MEISNERI,**

Theol. Witteb.

D. FRID. BALDUINI,

Theol. Witteb.

D. JOH. FRIDER. KÖNIGII,

Theol. Rostoch.

MAGNI DRESIDIENSIS THEOLOGI,

Filius non degener.

JOHANNES FRIDERICUS LUCIUS,*Ad diem 23. Maji, finitis Sacris pomerid.**JUVANTE DEO**instaurabit,**simulque non invenusto Carmine,***Ad capiendum pleniorum ingenii cultum***LIPSIA M abiturus,**Musis nostris**Vale dicet..**Quos illius laudabiles conatus, & ad majora**surgentem animum,**ut***Dn. PATRONI, FAUTORES & AMICI,***honorificâ præsentia suâ magis magisq; accendant,**omni reverentia & humanitate per officiosè**invitat***JONAS GELENIUS, RECTOR.***•SS• •SS• •SS•*
DRESDÆ, literis Ridelianis, a. 1690.



Ivinus Plato, Philosophorum ille

(a) Cic. II. de
Nat. Deorū c.
12. & I. IV. E-
pist. ad Att.
E. 16.
(b) Id. I. III. O-
rat. c. 34.
(c) I. 4. de LL.

Deus, (a) & non lingvæ solūm, sed animi etiam ac Virtutis Magister (b) verissime alicubi scripsit: *Industriam humanaā enixam esse semper, ut nomen suum dilataret.* (c) Ita sanè est, insidet qvædam in optimo quoq; Virtus, qvæ noctes & dies animum illius g̃oriæ stimulis concitat, atq; ve admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationē nominis nostri, sed cum omni posteritate ad æqvandam. Hinc videoas qvamplurimos in hoc desudare qvām maximē, ut nomen suum, ab oblivione & silentio vindicatum, æternitati transscribant: ad hoc omnes non animi solūm & corporis, sed fortunarum etiam conferre nervos, ut

fama super æthera noti

Æternumq; foret per secula nomen. (d)

(d) Virg. l. 6.
Eneid.

Sive illud tacitum qvoddam de immortalitate animi humani judicium est, ut ex Sapientibus nonnulli censuere; sive hoc pacto, cùm in exiguum ævi nos gigni cernerent, brevitatem hanc vitæ posteritatis memoria consolari voluerunt. Monumenta autem historiarum si replicamus & evolvimus, varias inclarescendi propagandi qve nominis adhibuisse artes mortales comprehendimus. Fuere, qvi perennem nominis sui memoriam excelsis molibus, atriis marmoreis, insanis substructionibus, basilicis amplissimis, stupendis pyramidibus & obeliscis prorogare, atq; ita à saxis & lapidibus immortalitatem nominis sui emendicare voluerunt. Hinc passim videoas, ingente titulorum pompa comite, uncialibus literis in id generis operibus conditorum exarata nomina: qva potissimum ambitione Trajanum, optimum alias Imperatorem, laborasse accepimus, qvi cùm minimis etiam nomen suum illineret, à subsannantibus herbæ parietariæ cavillo notatus est. Limatioris ingenii homines, & qvibus de meliore luto finxit præcordia Titan, cùm viderent insanis has substructiones & cœlo æqvatas moles vel imbre edaci, vel aqvilonibus impotentibus, vel flamarum rabie, vel victoris insolentis crudelitate dirui & deleri, qvin, etiamsi nulla accesserit Vis externa, vetustate fatiscere, mortemq; tandem ipsis saxis & marmoribus venire, per literas ingeniiq; sui monumenta inclarescere, æternamq; nomini suo famam circumdare annisi sunt. Namq; ut ille canit:

(e) Horat. in
arte Poetica.
longum scriptor prorogat ævum.

*Sic honor & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit.* (e)

Et sanè non est inficiandum, elegantissimum parandæ famæ & duraturi nominis instrumentum literas esse, ut qvæ non possessores tantum suos, sed & eos, qvorum illi facta memoriæ trādidere, in eodem gloriæ & immortalitatis curru secum circumvehunt. Verūm enimvero ut nihil est in tanta hac sursum ac deorsum euntium rerum vicissitudine ab omni parte beatum: ita etiam hæc extendendi nominis spes, cùm aliis temporum injuriis, tum flamarum cum primis perniciitate non paucis intercepta est, & multi Scriptorum luce magis Vulcani, qvām propria illustriores evasere, adeò ut non injuria Poëtæ illud usurpare potuerint:

Exiūs est studii parva favilla mei.

Zeno Stoicorum Pater usq; ad septingenta qvinq; ve συγέμματα sive opuscūla evulgavit. Nec multò pauciora Chrysippo Solēnsi tribuit Laërtius. Aristarchus Grammaticus supra mille Commentarios litteris consignavit. Hieronymus sex librorum Origenis millia legisse se affirmat. Theophrastus trecenta volumina publici juris fecit. Didymus Grammaticus quatuor millium librorum autor extitit, licet alii ter mille & qvingentostan-

tum

tum numerent. Tot saltem scripsit, ut numeri eorum immemor tandem factus sit; quare & Βιβλιολαζας postea dictus. (f) Epicurum, Chrysanthum Sardianum, Servium Sulpitium aliosque lubens prætero. Sed ubi hæc omnia? Et tot vigilatis chartis, tanta tamque immensa pene librorum strue annon. *vix linea ducta superstes?*

Nec est quod aliquis ingerat, paratam à typographia malo huic mediam, utpote quā non solum celeriter ingenii partus per orbem terrarum cum omnibus communicantur, sed & ob multitudinem exemplorum, in quæ diffundis solent, feralem hanc Libitinam facile effugere possunt; non est, inquam, quod hæc quis ingerat, quod enim ανεχοται & quæ jam carceres mordebat non sine ingenii rei literariæ jactura ivere pessum? Documento hujus rei nobis sunt multorum Clarissimorū Virorum acerba fata, ex quibus impræsens nominasse satis fuerit GRUTERUM, SCHIKARDUM, & nostra memoria lumen Daniæ suæ THOMAM BARTHOLINUM, qui bibliothecæ suæ, & in ea tot annorum sudoribus exasciatorum monumentorum, Ver- (g) Vide Dis-
tumnum Janumque jamjam spectantium, miserandam deflagrationem
non vice simplici acerbè deplorat. (g) Quā minimo minus ab-
fuerit, quin immensus labor Edmundi Castelli, quem in elaboratione editio-
neq; stupendi Lexici sui Heptaglotti exanimavit, cunctaque operis exem-
plaria, cum omni autoris supellectile libraria in flammis Londinensis periissent, ipsum Castellum cui voluppe est quiritantem videre potest. (h)
Interim, si verum facere judicium volumus, cùm paucorum hæc
sit privata calamitas, multi quoque, licet quorundam jacturam fece-
rint gravissimam, aliis tamen ingenii sui monumentis, ad omnem
posterioratem vieturis, orbem literatum fama nominis sui implevere, faten-
dum est non male æternitati nominis sui consuluisse, qui scriptis suis ab in-
genio excutis & quæ genium quendam æternitatis spirant, bono publico
profuere. Nec illi sperato gloriæ & duraturi nominis excidere fructu,
qui emergendi atque inclarescendi in virtute & egregiis factis fixam loca-
tamq; spem habuerunt, ut Scævola, Curtius, Decii, Fabii, Scipiones, Marius,
Pompejus, Cæsar & alii innumeri, qui nomen suum factis extenderunt, inq;æ
æternitatis fano è tholo perennis memoriæ suspenderunt. Illud verò mi-
rum, in eam nonnullos amentiam incidisse, ut cùm celebres esse voluerint,
in ora ætatis posthumæ pro deridiculo & ludibrio abierint. Qualis Annon
Carthaginem sive supremus Dictator fuit, qui cùm inter Viros
nominatos ac famulos censi vellet, imò per orbem universum velut Deus
alter, aut Numen aliquod decantari celebrarique, consilium cepit vanita-
tis, & stultæ arrogantiæ plenissimum. Aves vocales garrire svtas, ut
sunt picæ, monedulae, psittaci, aliæque hujus generis, undique conqviri, &
voce humana hæc pauca verba edoceri jussit: "Αννων θεός ἡδη." Ridicula per-
sualione in animum inducens suum, mox ut hæc volucres libertati suæ resti-
tuerentur, ubique gentium Annonem ut DEUM proclamaturas, (i) *Ælianue l.*
sibiisque jam tacite illud Poetæ applaudebat:

Jam canitur toto nomen in orbe meum.

Quæ quām ridicula famæ parandæ fuerit ratio, stultior Corœbo sit, qui non videat. Longè tamen gravius mihi insanuisse videtur Empedocles, qui cùm Panthiam Agrigentinum in gravi morbo curásset, atque ob id ipsum Numinis initar se coli animadverteret, immortalitatis atque fa-
mæ studio inflammatus, ut inter Deorum translatus numerum vide-
retur, in medios Ætnæ montis ignes se dedit præcipitem. (k) Anto-
nius verò Triumvir eodem dementiæ processit, ut parandi nominis gratia con-
vivium ejusmodi pararet, in quo aurea & argentea pocula semel exhausta
ipsius ejecta mandato fuerunt; ut nihil dicam de meretricula ejus Cleopatra, quæ unionem inæstimabilis fere preti, quemque Plinius singulare &
verè

(f) *Athenaeus*
Deipnosoph. l.
4. c. 7. conf.
Cusaub. annot.
p. 165.

(g) Vide Dis-
sert. ejus ad
filios de in-
cendio Biblio-
thecæ. Conf.
Epist. ad Casp.
Fil. præmis-
sam Synopsi
de puerperio
Veterum.

(h) *Dedicat.*
Lexici sui He-
ptaglotti ad
Reg. Angl.
Carol. II. conf.
Spizel. fel. Lia-
terat. Comm.
9 p.m. 998.

(i) *Ælianue l.*
14. *Var. Hisp.*

(k) *Horat. in
fine de Arte
Poëticæ*

JK III 1130

- (1) *Plinius lib. verè unicum naturæ opus appellat, uno haustu absorbuit,* (1) tantum ut nomini suo famam circumponeret. Quid? qvòd tam vehemens qvorundam animis æternitatis infederit cupiditas, ut etiam per scelera nomen suum posteritati commendare non dubitaverint. Qvis nescit Herostratum, ob id solum, ut nomen ad posteros propagaret, templum Dianæ Ephesiaæ magnificientissimum manu propria incendisse? Et licet Ephesi, ne speratum e scelere fructum consequeretur, severissimis caverint editis, prohibere tamen non potuere, qvin nomen ejus ad nos pervenerit. (m) Similis furor monstri illius humani generis Caligula fuit, qui cùm nomen suum omnibus modis posteritati consecrare cuperet, atq; hoc virtute consequi mortalium sceleratissimus non posset, sàpè de conditione suorum temporum palam quæsus traditur, qvod nullis calamitatibus insignirentur: sui oblivionem imminere prosperitate rerum. Atq; identidem n] *Svet. in Ca-* exercituum clades, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ exoptabat. (n) Qvor- 9. c. 35. sum non immerito retuleris detestandum Hermodis cuiusdam consilium, qui Pausanias de modo acqvi- lg. CXXXI. rendæ gloriæ qvarenti respondit: si virum aliquem illustrem occidisset. Cui simile de Calisthene refert Plutarchus, qui Macedonibus qvibusdam juvenibus eum consulentibus, qua ratione clarissimi possent evadere, respondit: si clarissimum è medio tollerent. Vid. Rupert. Dissert. ad Val. Max. lib. VII. c. XIV. §. 8. Qvibus facerrimis consultoribus num Lojolitæ, postremus orci fœtus, jure accenseri debeant, documento sint Henrici Galliarum Reges, Gvilielmus Princeps Arausionensis & alii. Multi præterea modi superessent enume- randi, qvibus miseri mortales immortalem sui memoriam celebratæ in qve posteris relinqvere desudarunt, unde videre est, qvam naturalis, qvam vehemens, qvam in animis omnium mortalium infixus amor futu- rum, eorumq; imprimis, qvæ morte à nostra expectanda sunt. Verum enim vero aut fallor ego, aut certè non postremus parandi nominis modus est, quem sibi a liberis pulchre educatis pñ promittere possunt paren- tes. Cum primis à sobole mascula, qvæ stirpem servare, tueri nomen, (qvod custodire fœminæ in aliam tradu- stæ gentem neq; veunt,) & cùm magnitudine animi, tum egregiis factis & in patriam meritis clarissimis vi- tam Patris exprimere, imò qvodammodo ipsum Patrem mira similitudine extribere possunt. Et qvanquam pauci hodie sint, qui cum Metello Macedonio inter rara humanæ felicitatis exempla numerandi veniant, ut pote quem amplissimis honoribus tunctum & tandem vita, qvatuor filii, omnes aut Consules aut Consulares, (o) *Plinius lib.* qvidam & triumphalibus insignibus ornati suis humeris rogo intulerint, (o) & facilis inci- 7. c. 44. dere sit in Viros justitia, dignitate, rebusq; fortiter gestis clarissimos, qui Paralis stupidis, Xantippis fatuis, Cleopantis degeneribus, Lysimachis inertissimos, Commodis sceleratissimi nominis sui gloriam non am- pliandam, sed dedecorandam potius reliquerunt; invenire tamen est multos optimorum & laudatissimorum parentum filios non degeneres, qui effigiem virtutis paternæ, constantiæ, pietatis & ingenii ad ungvem ex- primunt, iisq; post fata dedecori est, grande scelus, non immerito existimant. Qvorum in numerum ut or- dinem præsentem Oratorem nostrum Adolescentem optimum

JOHANNEM FRIDERICUM LUCIUM, Dresd.

multa egregia indolis ejus documenta me spe præcipere jubent. Mihi certe per quadriennium hoc, qvò non tantum disciplinæ meæ alumnus, sed & *σύστημα* ac mensæ particeps fuit, adeòpietatem, diligentiam atq; modestiam approbavit, ut absq; omni adulatioñis specie, cujus etiam causas procul habeo, verum ac genuinum discipuli laudatissimi & lectissimi exemplar eum indigitare nullus reformidem. Sed nolo plura, ne optimi Adolescentis verecundia vim inferam: id tantum addidero, eum, si similis sui esse, perq; virtutes Avitas atq; Paternas eò, qvò hactenus laudabili ausu grassari perrexerit, non paternam tantum, sed totius LUCI- ORUM gentis gloriam, in ea, qvā hactenus exsplenduit LUCE, ex facili, DEO benigne annuente, conser- vaturum. Qvum itaq; pietate duce industriaq; comite, non penitendos in bonis literis fecerit progressus, & jam eorum consensu, qvorum consentire interest, pleno gradu ad Academica properet studia, suarum duxit esse partium, anteq; gradum à nobis aliorum protolleret, qvalecumq; suorum elegantibus in literis pro- cessuum edere specimen, simulq; illis, qvibus se debere aliquid intelligit, grates persolvere. Faciet id ipsum, eras si Dao visum fuerit, post secundam pomeridianam, facris finitis; cumq; magni Theologi, & Patria & officio Dresdenis, filius sit, trium gravissimorum & de Ecclesia Christi immortaliter meritorum Theologorum, qvibus Electoralis hæc Dresda natales præbuit, memoriam renovare pro virili sua annitetur, & tandem car- mine Heroico Patronis, Fautoribus & Præceptoribus vale dicet. Qvare Vos ego Patroni, Fautores, & omnes rei Scholasticae benigni estimatores denuo rogatum venio, ut pristinam benevolentiam nobis perseverare, & splendida ac honorifica præsentia Vestra Actum hunc Valedictorium exornare dignemini. Extenderem pre- ces, nisi cùm singulari modestiae lectissimi Adolescentis, tum Parentis illius b. m. amplissimis in Urbem hanc meritis Vos id sponte daturos, non sperarem tantum, sed & confiderem. At Tu

I pede felici, LUCI dilecte, JEHOVA

Ipse tuos gressus sospitet atq; beet!

Hactenus Aoni as scandisti sedulus arces,

Virtus chara Tibi cum pietate fuit.

Perge Tuis faustum cœptis superaddere finem,

Et doctum è tenebris tollere perge caput.

Innocui mores, & rara modestia gratum,

Cunctis Te reddent, non malus augur ero.

Te Patriæ NUMEN servet, Te mactet honore,

Ut superes patriæ firma columna dominus!

Sospes abi! & de Te siquid meruisse videbor,

Perpetuum nostri sis memor, atq; Vale!

OS(0)S

nc.

ULB Halle
004 074 874

3



Koff

